QVÆSTIO MEDICA
CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM
die Iouis 26. Martij.

M. CLAVDIO LE VASSEVR, DOCTORE MEDICO, PRÆSIDE.

An annus qui fructuum, idem & morborum ferax?

I.

CVM hujusce mundi ornatus & pulchritudo in constanti ejus partium varietate fluxuque perpetuo consistant, necesse fuit prima rerum omnium caducarum elementa continenter moueri, vt dum aliæ ex iis coagmentatæ dissoluuntur, recentes aliæ, nouâque formâ conuestitæ in scenam prodeant. Quò verò id faciliùs fieret, istis, è quibus omnia nascuntur, initiis, contrarias vires inseuit Naturæ author, vt quanquam societatem coeant, nullâ stabili pace vtantur; nec modò occultas insidias sibi inuicem struant; sed etiam inter se apertas ac immortales exerceant inimicitias. Verùm quia periculum erat ne in eâ primordiorum pugnâ, ex iis aliquod cæteris superius euasisset, ad fœdus & pactionem ampliùs adduci non posset, percommodè cadit, vt quæ in ipsâ conflictione fracta dejectaque videbantur, singula cognatæ sibi tempestatis reuersione resurgant, vicissimque vires colligant; atque adeò quadripartitæ temporum commutationes, cùm aptæ congruentesque fuerint, & ad eosdem satus ortus incrementa, & ad maturandos metendosque fructus, & ad corporum tempe-

440

rationem, integramque animantium ſanitatem omninò comparatæ ſint.

I I.

ANNVS eſt illud temporis ſpatium quo Sol ab vno Zodiaci punĉto ad idem reuertitur; is fruĉtuum feraciſſimus eſt, cùm numeroſiſſima quæ edidit germina ad maturitatem perducuntur, aptè variato ac modificato aëre, quod vtrumque dum pulchrè it, efficit. Plantarum autem propè eadem ac animalium ratio. Vt enim in his, ſi bellè nutriantur, proficiſcitur aliquid è totà circumfluentis ſanguinis mole, ſingulíſque corporis particulis, quod in ſemen abit, habetque tacitas ac velut in anguſtum coaĉtas, animantis in quo eſt, ſimilis ex eo progignendi, vires: ſic vbi ad illarum paſtum conueniens & elaboratus ſuccus quoquouerſum exportatur, fruĉtuum ſeminumque initia, in ipſis fibrillis ſolidiſque particulis inchoata decerpit, ſecumque tranſeundo aufert. Ex quo ad ipſum delato oculum, tanquam ſanguine ad teſtes, ſecernitur germen plantarum, non ſecus ac ſerum in renibus. Ac illis dùm lætæ ſunt & vigent, perinde atque animantibus quandiù valent, ſemen ſatis copioſum ſuppetit; ſed quod iners foret, niſi calor cæleſtis vim illius inſitam promoueret, primaque fruĉtuum rudimenta poneret, foueret, excitaret. Sub quod ferè tempus erumpit flos, vt plantarum, ſic coloni gaudium jucundaque ſpes, cujus foliis nutritionis inopiâ decidentibus, quidquid ex ſucco ad plantam alendam idoneo ſupereſt, faceſſit in incrementum fruĉtus incluſique ſeminis, quæ quàm varias ſubeant mutationes, declarant variis temporibus, & ſerie quâdam ſibi ſuccedentes diuerſi ſapores, acerbus, auſterus, acidus, dulcis.

I I I.

MOTIONVM omnium continuatæque mundi naturæ cauſa eſt annus, qui ſi benè temperatus, fertiliſſimus eſt ac ſaluberrimus; ſcilicet hyemis frigore coercitus, ac velut ad intimos plantarum lares compulſus calor innatus, abſque animæ operâ, ducit prima fruĉtuum ſeminumque lineamenta & ſtamina: quæ vt veris tepor leniſque afflauit aura, ſe ſe proferunt foliorum ac florum eruptione. Fruĉtus tunc temporis ſi quos deguſtes, peracerbos auſteroſque deprehen-

des, ob adjunctam terrenæ ſiccitati frigiditatem non mediocrem, quam emendare quidem, at vincere nunquam valeat vernus calor, niſi æſtatis acceſſione valentior factus, tenuatâ eorum ſubſtantiâ, ex auſteris acidos redderet, ſubindeque in dies inualeſcens, illos ſenſim citra vredinem ita excoqueret, vt mitigati jucundèque conditi, ſui tandem ſaporis dulcedine, ob quam vnam ab animantibus expetuntur, guſtum blandè moueant. Sed ne mox ab ea diſcedant, æſtatis feruor autumni frigore remittitur, quo quemadmodum & vernaculâ tempeſtatis iſtius ſiccitate, vt fructus ipſi, mox alioqui corrumpendi, in hyemem reponi poſſint, & ad multos menſes integri durent, efficitur.

I V.

ANIMALIS cujuſcunque ſanitas optimâ partium ſimilarium temperie, organicarum conformatione, omniumque decenti poſitione ac nexu continetur: At non ſatis eſt eximiam illam corporis conſtitutionem naſcendo nactum ſit, niſi juſtis viuendi legibus, qualem à naturâ accepit incorruptam tueatur: Vt eo certiùs naturalem vitæ curſum completurum ſit, quo minùs rerum externarum injuriis laceſſetur. Neque tamen fieri poteſt quin ætatum omnium decurſu varias multiplicesque ſubeat mutationes, quibus ſi immoderatè concutiatur, de optimo valetudinis ſtatu in deteriorem qui morbus eſt prolabetur. Porrò inter ea quibus corporis grauiùs percellendi vis ineſt, principatum tenet aër qui & ſpiritu ducitur, & nobis perpetuò circumfunditur: quippe qui promptè omnia penetret, eâque vel ſubſtantiâ vel qualitate quâ præditus eſt, ſpiritus, humores, & partes omnes imbuat. Ideoque cujuſmodi ſit, puruſne ac tenuis, an craſſus & concretus permagni ad vitam intereſt. Planè vt caliginoſus & alienâ permiſtione inquinatus nihil non polluit, ſuaque ſtatim vitia quoquouerſum diffundit: ſic cæli tenuitate & calore temperatus, ſanguinem & corpus vniuerſum colluſtrat, vitalemque ac ſalubrem ſpiritum præbet animantibus. Nec deſunt qui non ſolùm veriſimile, ſed etiam verum eſſe cenſent, perinde vt ille ſe habet, ita pueros orientes animari, formari; ex eoque ingenia, mores, animum, corpus, vitæ actiones exitumque fingi.

448

V.

AER multis modis multisque de causis, maximè tamen Solis motu, siderumque exortu ac obitu insigniter mutatur, mutatque omnia: annum quippe facit, manifestâ quam affert primarum qualitatum varietate, in quatuor tempora distributum, quibus humanæ vitæ cursum imitatur. Sunt enim ver pueritiæ, æstas florenti ætati, autumnus declinanti, hyems senectuti similia; vt illorum eadem sit quæ harum temperies Solis quidem accedentis ac recedentis motu constans similisque semper futura, nisi siderum haud ignobilium ortus & occasus, disparesque terrarum & hujusce mundi aspirationes ejus diuersitatem cùm secundæ tùm aduersæ valetudinis effectricem inducerent. Inde illa quæ terris incubuit cohors morborum etiam aliâ atque aliâ formâ renascentium, annoque malè morato fraudem vel Medicis facientium. Quanquam hæc ferè laus est omnium anni partium, vt quos vna peperit morbos, hos vel subsequens deleat vel aduersa: nulli verò aut certè rari admodum, iique mitissimi ingruant, cùm singulæ quam sibi vendicant temperiem constanter retinent, nec repente inuadunt, sed in alteram altera paulatim soluitur, gratâque vice desinit. Ita enim quatuor humores suo ordine ac tempore renouantur, castigatique florent, vt vel ipse autumnus distillationibus crebrisque tabidorum funeribus infamis vix vllos creet morbos, aspersamque sibi maleficij maculam, suâ simulque fructuum amœnitate ac copiâ eluat.

Non ergo annus qui fructuum, idem & morborum ferax.

Proponebat Lutetiæ LVDOVICVS MORIN, Cenomanus, A. R. S. H. M. DC. LXV.

1268